



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An is, tertius interveniens pro suo interesse possit impedire executionem sententiæ, & de illis cognoscere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

multi dubitent, utrum hæc ipsa executio etiam competat delegatis ab inferiore aliquo Magistratu, ab Episcopo v. g. vel utrum partes ad delegantem pro executione remittendæ sint, cum Delegatus talis omni suo officio functus videatur, pronuntiando sententiam, quia tamen, cui causa expedienda committitur, omnia etiam commissa merito censentur, quæ ad causæ talis expeditionem spectare videntur, ideo probabilius est etiam his delegatis suæ sententiæ executionem competere, nisi specialiter hæc illis prohibita esset.

Non est tamen sententia (saltem in Civilibus) statim executioni mandanda, sed expectandum est saltem per dies decem (ut locus detur interponendæ appellationi, si parti gravatæ videatur appellandum) & in debitis personalibus temporæ à jure definitum ad executionem, est tempus quadrimestre, quod condemnato ad solvendum conceditur, prout patet ex c. *Quod ad consultationem*. ita tamen, ut ex iusta causa possit hoc tempus abbreviare Iudex. In realibus verò actionibus sententia statim, ut ea in rem iudicatam, post decem dies appellationi concessis, transit, executioni mandanda est, & rei possessio actori, pro quo iudicatum est, danda, ita ut ad executionem non sufficiat, pignora tantum dare pro re, ad quam condemnatus est, iuxta c. *Cum aliquibus* 6. h. t. nisi restitutio statim faciendæ impossibilis esset, aut pars victrix sponte pignora v. g. pro re, vel æstimationem rei, &c. admitteret, in cuius favorem restitutio præcepta est, & cogenda esset. In causis verò criminalibus executio statim fieri potest, præ-

sertim in Germania, ubi juxta hanc criminaliter condemnato non conceditur appellatio remedium.

§. IV.

An is, cui commissa est executio possit admittere exceptiones oppositas contra executionem sententiæ, & de illis cognoscere?

Duplex communiter dicitur Executor, si distinctus hic à Iudice, alius dicitur & est merus executor, si nulla cognitio, sed sola executio causæ plenè cognitæ, & decisæ committitur, alius mixtus dicitur, & est, cui non tantum executio, sed aliqua etiam cognitio faciendæ executione committitur, hæc ergo admittere potest exceptiones, que tendunt non ad impugnandam sententiam, ac illis de aliqua injustitia arguenda, sed que tendunt ad impediendam, aut retardandam executionem, & de illis cognoscere, c. *De cetero* 5. h. t. Nemo enim assumere sibi debet Executor potestates Iudicis, cui de causâ principali cognoscere convenit. Si verò merus Executor quis constitutus sit, nulla ipsi cognitio causæ competit, & consequenter admittere non potest ullam exceptionem, sed sola exequendi necessitas illi incumbit (cum omnis cognitio etiam ad executionem pertinens supponatur in tali casu præmissa) quamvis sciat injustam sententiam à Iudice latam, cum illa non sit discernere justè an injustè iudicatum sit, nisi injusta sententia lata esset in causa criminali, ubi de vita, aut membris hominis agitur (ad cuius velut inanimatæ malæ executionem nemo cogi potest) vel in causa etiam Civili indubitatè

esset lata sententia (cūm sententia nulla non sit sententia, neque transeat unquam in rem iudicatam) prout colligitur ex c. Super eo. 2. De crimin. falsi. & quamvis multi sint, qui dicunt, Executorem non posse exequi sententiam formaliter injustam, ex malitia v. g. Iudicis latam, si sciat formaliter eam iustam esse, cūm in tali casu nihil operari possit p̄sumptio pro Iudice, sunt tamen etiam, qui cum Glossa in c. Pastoralis 28. §. Quia v̄v̄o V. Etiam si sciat. De offic. Iud. deleg. contrarium teneant, quod scilicet merus Executor sententiam etiam, quam scit formaliter injustam, exequi possit, si onus impositum declinare non possit, aut non possit ad Superiorem velut gravatus recurrere, tum quod pars sibi adscribere debeat, si quod patitur ab Executore tali incommodum, eod quod intra tempus debitum non appellaverit; tum quod huic parti contra Iudicem de damno dato agendi remedium adhuc superfit. Huc tamen etiam meto Executori, quamvis nulla jurisdictio competat, non tamen omnis coercitio, (facti scilicet) neganda est contra executionem impediētes, ne inanis sit facta illi executionis commissio.

§. V.

An tertius interveniens pro suo interesse possit impedire executionem sententia inter alios lata?

EX c. Cūm super 17. h. t. habetur, quod, quamvis contra principalem actorem in iudicio sententia lata sit, tertio tamen, cuius interest, qui tamen iudicio tali non interfuit, nihil noceat, neque exinde p̄iudicium aliquod pati de-

Pirhing, Compend.

beat, ita ut appellare etiam, possit à lata sententia, neque executioni ea mandari possit, donec etiam illius tertii causa, qui ob suum interesse, postquam cognovit sententiam hanc latam fuisse, legitime appellavit, cognita fuerit, nec possessio rei vel iuris ipsi auferri, cūm nemini sine causæ cognitione sua possessio auferri debeat. Ex quibus facile patet, posse tertium pro suo interesse intervenientem impedire executionem sententiæ inter alios latæ, ita ut contra Reum quidem condemnatum in iudicio sententia confirmari possit, contra tertium verò, si rationabiliter appellavit, infirmari, vel saltem executio illius suspendi: quamvis ante appellationem interpositam summarie probare debeat hic tertius appellans, suā interesse, latam contra alium sententiam, vel certe p̄stititā prius cautione indemnitate ille cavere deberet, si executio videretur urgere.

§. VI.

An is, contra quem in aliqua causa tres sententia confirmata sunt lata, admitti debeat ad agendum de nullitate ipsarum, vel alicuius ex illis, vel ad excipiendum, antequam huiusmodi sententia plene fuerint executioni mandata?

Respondetur ad hanc quæstionem, in Clement. ut calumniis. h. t. negativè, sive deinde sententiæ hæc fuerint interlocutoria tantum, sive definitiva, sive immediatè ad se invicem, sive mediatè lata, ut occurratur scilicet calumniis litigantibus, prout dicit Pontifex. Quæ constitutio locum etiam habet in causa criminali, ita ut executio illius fieri debeat, antequam agatur de nullitate sententiarum,

Ccc

rum,